



1. Aug. Varenij Diff. de bonis operibus 1651
2. Christ. Bened. Michaelis Diff. de Muhammedismi laxitate moralis 1708
3. Joh. Justi Breithaupt Diff. de Heresi 1709.
4. pauli Antonij Diff. in varia natura, lijni et Rationalismis capita. 1708
5. ejusdem, de estimatione rationis humane theologica. 1708
6. ejusdem de harmonia fidei quae jure fit 1707.
7. ejusdem, de divina propagatione Religionis Christianae sub cruce. 1708

8. ejusdem observationes de conversione
samaritanorum ad Christianismum.
1696.
9. ejusdem, diff. de spiritu moderationis.
1708.
10. ejusdem biza diff. de Imanuelle et
de IAAEMO. 1704.
11. G. Calixti expositio litteralis
in epistolam pauli ad Romanos.
1653.
12. ejusdem, expositio litt. in Epist. ad
philipenses. 1654.
13. ejusdem, ad Galatas. 1653.
14. ejusdem, de desiderio et studio
Ecclesiasticis. 1655.
15. ~~Calixti, diff. de confessione et absolutione.~~
1682.
16. Eberh. Mesomyli diff. analytica in
129. 1619.
17. Henr. Opitij diff. de theologia pia
unice vera. 1690.
18. Gerh. Tetij diff. de merito Christi.
1663.
19. Mich. Waltheri Specilegium de sacro
sanctissimis dei nominibus.
20. Gerh. Tetij diff. de perseverantia
sanctorum. 1662.

- 21 Joh. Just. Lelij. dei. *de lapsus de Luocellum*
corruptione judaeorum. 1711
- 22 ejusdem. *de origine atheismi. 1711*
23. Gottfr. Voelkerod. *de notitia. S. Scriptis,*
vel apud gentiles. 1688
24. Christ. Joach. Jani *Athei refutatus.*
1568
25. Joach. Hildebrand. *rationale*
orantium. 1686
26. Joh. Joach. Homberg. *de parentate*
veterum Christianorum.
1683

Quod felix jubeat esse DEUS.

THEOLOGIA PIA UNICE VERA,

Quam
Cum Paulo ad Titum l. i. afferit,
& in

DISSERTATIONE INAUGURALI,

Consentiente

Illustris CHRISTIAN-ALBERTINÆ

Quæ Kiloni Holsatorum est,

Summe Rev. Facultate Theologicâ,

PRÆSIDE,

VIRO Maxime Reverendo ac Celeberrimo,

DN. HEINRICO OPITIO,

Theologiæ Doctore, ejusdemque Prof. Ordinario,

Pro obtinendo Gradu ac Privilegiis,

DOCTORIS THEOLOGI

defendit

M. JOHAN. CHRISTOPH. BILEFELD,

Adjunctus Parenti emerito Pastor ac Su-

perintendens Dölitianus.

die III. Octob. Anno M,DC,XC.

RECUSA HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Literis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr. 1710.

Plurimum Reverendo Amplissimoque Viro

DN. JOHANNI CHRIS-
STOPHORO Bielefeld /

Adj. Pastori Primario & Superinten-
denti Dölitiano,

S. Theologiae Doctorando,

Fautori suo, Amico, Convictori, *συνεστω*, intime dilecto,
& perquam honorando,

CHRISTIANUS Kortholt / D.
Pro-Cancellarius & Professor Primarius Kilon,

h. t. Facultatis Theol. Decanus.

FELICIA OMNIA!

Princeps ille Philosophorum Aristoteles, sub initium
præclari sui ac Nicomachum operis, Juvenem idone-
um Civilis doctrinae auditorem esse posse negat, quod,
perturbationibus animi obsequutus, sine fructu & utilitate
audiat; quandoquidem Moralis scientiæ finis non *γνώσις* sit
sive nuda cognitio, sed *πράξις* & operatio. Quod si unius Na-
turæ lumine nixam Philosophiam sic aestimare potuit homo
Gentilis, ut indignos practicarum disciplinarum cultores esse ju-
dicarit, qui non re ipsa exprimere id satagunt quod scientiis
istis traditur; de nostra illa Naturam superantibus revelatio-
nibus, cœlestibusque oraculis fulta sapientia quid dicendum: quam

μὲν

μόνην Φιλοσοφίαν ἀσφαλῆ Justinus Martyr vocat; τὴν θεῖαν Φιλοσοφίαν Gregorius Nyssenus; *divinam Philosophiam* Vincentius Lerinensis, *χριστιανὴν Φιλοσοφίαν, τὴν κατὰ χριστὸν Φιλοσοφίαν, τὴν ἀληθῆ Φιλοσοφίαν, τὴν ὄντως ἀληθῆ σοφίαν*, Clemens Alexandrinus; *Philosophiam Christianam* Salvianus Massiliensis; *τὴν κατ' ἡμᾶς Φιλοσοφίαν* Gregorius Naziancenus; *εὐαγγελικὴν Φιλοσοφίαν* Theodoritus? an huic disciplinarum sanctissimæ ab aliis admoveri manus decebit, quam ab iis, quibus præter γνῶσιν viva curæ cordique *πράξις* est? Quemadmodum vero à discipulis vitam practicæ doctrinæ respondentem Aristoteles poscit, Græcorum sapientissimus: sic à docentibus eandem exigit decantatissimus ille Sinarum Philosophus Confucius. Is enim, ceu memoratur in edita non adeo pridem ipsius nomine Scientia Sinica, libro III. parte I. quærenti discipulo, cujusmodi sit vir perfectus? *Talis est*, respondit, *ut prius ipsa factisque compleat suos sermones, quibus instituere desiderat alios, ac deinde sua ipsius facta & exempla prosequatur alios instituendo. Verbo; primum agit, cum docet. Nimirum homines amplius oculis quam auribus credunt; deinde, longum iter est per præcepta breve & efficax per exempla. Zenonem Cynætes non expressisset, si cum tandemmodo audisset. Vita ejus interfuit, secreta perspexit, observavit illum, an ex formula suavis verit. Plato & Aristoteles, & omnis in diversum itura sapientium turba, plus ex moribus quam ex verbis Socratis traxit; Metrodorum, & Hermacbum, & Polyenum, magnos viros non scibola Epicuri sed contubernium fecit; ceu scribit, epistola sua VI. illæ Romanæ Ethices non postremus magister Seneca. Atque hæc & similia quandoquidem ἐ τῶν ἐξω offici-*

nis prodire jamdudum, hodieque prodeunt, aurea profecto, monita, quidni longe majori studio, quidni zelo perfecti debeant longe acriori argumentum istud qui venerabile CHRISTI nomen gerunt, ejusque sacrosanctam doctrinam profitentur? Nec desunt sane ex his etiam, omnem qui lapidem eo fine movent. Et ad priscos quidem quod attinet Christianæ Ecclesiæ Doctores, possemus implere chartam, si vel paucorum advocare huc vellemus eo facientia testimonia. Sed prolixiores in præsentem nos esse verat præscriptus paginarum modus. Unius proinde Lactantii nunc contenti erimus, sed præ ceteris illustri, testimonio, Ita vero ille, divinarum suarum Institutionem libri IV. cap. XXIII. *Quicumque præcepta dat hominibus, ac vitam moresque fingit aliorum, quero, debeatne ipse facere quæ præcepit, an non debeat? Si non fecerit saluta præcepta sunt. Si enim bona sunt quæ præcipiuntur, si vitam hominum in optimo statu collocant, non se debet ipse Præceptor à numero cæterumque hominum segregare inter quos agit; & ipsi eodem modo vivendum est quo docet esse vivendum; ne, si aliter vixerit, ipse præceptis suis fidem detrahat, levioresque doctrinam suam faciat, si re ipsa resolvat quod verbis nitatur adstruere.-- Homines malunt exempla quam verba; quia loqui facile est, præstare difficile. Utinamque tam multi bene facerent, quam multi loquuntur bene! & capite XXIV: Contumacia redargui non potest nisi exemplo. Nam habere non possunt, quæ doceas firmitatem, nisi ea prior feceris: quia natura hominum, proclivis invitia, videri vult, non modo cum venia, sed etiam cum ratione peccare. Oportet magistrum doctoremque virtutis, hominum simillimum fieri, ut vincendo peccatum, doceat hominem, vin-*

ei ab eo posse peccatum. Libro item III. cap. XXI. *Qui do-*
cent tantum, nec faciunt, ipsi praeceptis suis detrahunt pondus.
Quis enim obtemperet, cum ipsi Praeceptores doceant non ob-
temperare? Bonum est autem, recta est honesta praeicipere;
sed nisi & facias, mendacium est: & in congruens atque
ineptum est, non in pectore, sed in labiis habere bonitatem.
 Verum & recentiorum non paucos suo heic laudabiliter
 functos esse officio, grata mente oportet agnoscere quot
 quot sincero Pietatis studio ducuntur. Quibus uti alias
 jamdudum tuum Tu calculum adjecisti, perquam reve-
 rende Dn. Bilefeldi, ita nunc publica insuper dissertatione,
 quam Tibi res ea cordi sit, demonstras: dum videlicet talem
 nobis, ductu Apostoli, describis Theologum, à quo
 non modo requiritur, ut, eximia eruditione instructus,
 sacram hanc disciplinam dextre aliis, proponere, fidei my-
 steria è Scripturis *θεωρησέτω* accurate explicare & con-
 firmare, sanæ doctrinæ luci offusas diaboli malorumque
 hominum nequitia tenebras feliciter possit depellere; sed
 viva quadam salutifera Dei rerumque divinarum cog-
 nitione pollens, vitæ sanctimonia & moribus CHRISTI
 servo dignis non minus quam acquisita sudore ac studio
 sapientia alios superet. Tametsi parum id in Te suspi-
 carem quod calamo & ore talem nobis Theologum nunc
 fistis, nisi impressam chartæ doctrinam praxi ipsa sic expri-
 meres, ut metuendum minime sit, ne quis, cui animus tuus
 moresque perspecti, dissertationem hanc legens, cum ante
 laudato Firmiano ingemiscat: *Utinam tam multi bene fa-*
cerent, quam multi loquuntur bene! Ego sane, cui jam
 ante biennium familiariter innotuisti, sine fuculo ullo & af-
 fentatione testari de Te possum, quod mentem in Te de-

prehenderim plane qualem eos decet qui curas suas publicis Ecclesiæ commodis sanctoque CHRISTI ministerio consecrarunt. Unde, ex quo à nobis abfuisti, nunquam gratissimæ tuæ conversationis dememinisse potui, nunquam sanctarum tuarum Virtutum & actionum, quibus præsens Te mihi probaveras, sine voluptate recordari. Quo nunc mihi accidit jucundius, quod, Kilonii memor, ad Cim-bros nos reversus, & ita quidem reversus es, ut, cum è Misnia tua venerandis auctus muneribus exieris, è nostra Hofatia majori cum dignitatis accessione ad tuos sis dimittendus. DEUM ex animo veneror, Amice, tum ut honores, quorum impetratorum ergo Theologica hæc *σοφιστικη* instituitur, & quibus, annuente ipso, paucis abhinc diebus solenni ritu augeberis, faustos per omnia Tibi & felices esse jubeat, tum, ut sanctæ illi totque animarum saluti destinatae spartæ, quam non adeo pridem ornare cœpisti, cumulatissime è cælo benedicat! Scribit Kiloni Hofatorum, exeunte Septembri

ann. clc lxxc.

PRO-



PROOEMIUM.

Sacrum & venerabile profectò est Theologiæ nomen, divinum quid cuius vel ipsò sonò indicans, cui etiam mutato in Theosophiam, Theodidascaliam, Christosophiam, Hodosophiam Christianam & quæ sunt alia, sua manet sublimitas, sua debetur reverentia, quam non sine pondere piis mentibus ingerit easq; ad singularem sui æstimationem alliciri jure enim de submissâ animi veneratione, quam DEUM nominando sentis, participat cœlestis notitia, DEI lumine manifestata viæque ad DEUM præmonstratix felicissima, testis certissima. Equidem suis limitibus meritò circumscribitur Theologiæ auctoritas, ne, si pro λόγῳ Θεῶν eandem venditaveris injurius sis in ipsam Sacram Scripturam, quam solam sub hóc titulo revereri jubemur, quæ & principium norma, fons & origo nostræ Theologiæ per ordinariâ media datæ salutatur. Neque divinus Scripturæ sensus, ex verbis ejusdem vivacibus fluens, idem est cum nostrâ Theologiâ, sed uti ne hominis quidem sermo nudis verbis, intellectu carentibus, absolvitur, ita multò magis DEI oraculo, à Θεοπνεύστοις Prophetis ac Apostolis nobis consignata, sensu Divini sunt fœcunda, qui & robur oculos aperiendi cordaque movendi sibi proprium vindicat: nam τὸ ἐξευνᾶν à CHRISTO mandatũ Joh. V, 39. 40. circa Scripturas versatur, cum tamen maximè in eruendo ac per vestigando earundè sensu occupetur; Stat igitur Scriptura ejusque præsertim sensus pro Divi-

no

no Theologiæ nostræ principio; Nec minori in pretio habendus est ille sensus qui ex verbis expressis eorumque sensu immediato per bonam consequentiam fluit, adeoque mediate in eò habetur: docemus enim in Scripturâ Canonica haberi omnia necessaria sive conceptis aut æquipotentibus verbis, sive ita ut per manifestam & evidentem consequentiam ex formalibus Scripturæ verbis possint elici. (α) illa Sacri Codicis dignitas ac eminentia præ nostrate Theologia probe est dignoscenda, nihilo tamen minus hæc etiam Divino resplendet jubare quippe ratione formæ non aliâ mente resplendentis Spiritus Sancti, nec ratione efficientis ab aliâ illuminatrice & persuadente vi proficiscens, quàm quæ Verbo DEI perse indita est: (β) ideo quicquid notitiæ Divinæ Intellectus capit aut voluntas de motibus Sanctis experitur, id omne divinum fructum à divinâ promanantem origine merito dicas & cum thesauro sacrarum literarum simul sapientiâ eòdem recte utendi suspicias. Accurato schemate rem totam ob oculos ponit B. Dannhavverus (γ) *Sol*, inquit, *in hac nostrâ Hodosophiâ Christus est: Lux à Sole effusa (lychnus sacer) in quâ Sol ipse apparet, est Scriptura Sacra: Lumen quasi lucimen quod ab illo per Lucem Verbi in oculum Theologi diaphanum dimanavit est Theologia.* Târn supplimi igitur sede sacram hanc scientiam esse locandam vel ipsa vox docet: At eandem sibi non nisi DEO deditum cultorem poscere, originis ac naturæ excellentiam monstra. Certè si Aruspices Sacerdotes vé Gentiles in extis εἰδωλωθύρων prævio Cacodæmone, auguria quæsituri se cæcos & in vadicinando fallaces faterentur, eo quod affaret sacrificantibus profani homines (injuriioso hóc nomine onerabant Christi confessores, tyrannorum in eos rabiem id ge-

(α) Sunt verba Vener. D. Kortholti in Thefibus Th. Disp. I. Thef. IX. S. b. Schmid. Coll. Bibl. P. Ip. 65. (ε) Hulfem. Brev. c. I. Thef. XI. (γ) Hodof. 19.

nus dictis vice plus simplici stimulantibus) (d) quid nobis dicendum de impiis aut Mundo adhærentibus, dum capaces se esse putant veræ Theologiæ, quæ non præstigiis ac fallaciis ludit, sed cum æternâ Veritate divinâ rem habet, Procul hinc procul inde profani! nunquam ad Sacra hæc adyta pertingentis. Cum autem sub Schemate ac nomine Theologiæ complures dolor! fallat *ἀθεολογία* ille infernalis, placuit consentiente Summe Reverendo Ordine Theologico, Veram Theologiam curto simplicique Stylo in Dissertatione Inaugurali delineare; ubi perspicuis solum Scripturæ argumentis usus, subtiliores quæstiones & confutationes Adversariorum, qui tum è Pontificiorum tum Socii & Arminii Scholâ insurgunt, lubens declinavi, præsertim cum muneris ratio & iniquior valetudo otium viresque satis parcè indulserint; Accedit, quod à nonnullis Theologis hæc materia uberius jam sit tractata, ita ut quædam saltem repetiisse, quædam autem, nostro imprimis seculo cum Atheismo colluctanti Paradoxa, Veritati tamen Divinæ congrua demonstrasse sufficiat. Faxit Summus ille Dator atq; Sator cœlestis Sapientiæ Jesus Christus, ut, cui studemus quamque profitemur, Theologiam immotis Sacræ Scripturæ fundamentis superstruam, ejusdē luce perfusi addiscamus, & autoritate humanâ susque deque habitâ, in veritate stemus, vivamus, moriamur!

CAPUT I. EXEGETICUM.

§. I.

Per pauca quidem sunt verba quæ ex In aut si mavis subscriptione Epistolæ Pauli ad Titum desumpta, totius Tractationis nostræ Thema proponunt, ast licet numerò, non tamen pondere minora aliis judicabis, si penitus

B

tius

(d) Laëtant, lib. de mortibus Persec, C, X. & XI. Div. Instit. I. IV. cap. XXVI.

tius paulo inspiciantur. Habent autem in serie integrâ hoc modò.

Tit. I, 1.

Παῦλος δὲ ἀλλοθι Θεῷ, Ἀπόστολος δὲ Ἰησοῦ χριστοῦ κατὰ πίστιν ἐκλεκτῶν Θεοῦ καὶ ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' εὐσεβείαν.

Paulus servus Dei, Apostolus autem Jesu Christi, secundum fidem electorum Dei & agnitionem Veritatis, quæ est secundum pietatem.

Paulus ein Knecht Gottes aber ein Apostel Jesu Christi nach den Glauben der auserwehltten Gottes/ und den Erkännuß der Wahrheit zur Gotts eingekefft.

Certe inscriptio hæc emphasi suâ nulli in reliquis Pauli Epistolis secunda est, nisi fortè cum B. Calovio (1) ad Romanos scriptam exceperis, ubi de Apostolatu suo & manifestando Evangelii mysterio plura addit Apostolus, quæ nobis etiam circa præsentia verba lucis nonnihil conferre possunt. Equidem nostri non est instituti singula inscriptionis membra sub examen vocare, cum posteriora solum verba: κατ' ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' εὐσεβείαν nostrò inserviant scopo. Interim ex prioribus hoc simul observamus, duplicem titulum, quo se cognoscendum præbet Apostolus, ad subsequèntia testimonia cum diversitate quâdam respicere: Est servus Dei, est etiam Apostolus Jesu Christi, id quod probat, quia habeat fidem electorum & cognitionem Veritatis secundum pietatem: Nomen servi Dei tuetur per fidem electorum, omnibus verè fidelibus communem, quamque v. 4. Tito etiam tribuit, qui eòdem jure Servum Dei se poterat profiteri, siquidem omnes illos, qui vivâ fide Deo adhærent, ejus Servos esse oportet, uti hanc

(1) Bibl. Illustrat. h. I.

hanc veritatem firmat sanctus Paulus cap. II. 12. 14. hujus Epistolæ, & alibi, Rom. XIV, 8. 9. 2. Cor. V, 14. 15. Ebr. IX, 14. Ubi fideles non sibi suæque licentiæ relictos sed DEO servire obstrictos esse demonstrat; Haud exiguæ igitur gloriæ sibi ducebat, quod cum aliis Christi membris esset Servus Dei, eaque propter sub auspiciis literarum non semel hoc nomine cupit innotescere. Placet enim hoc opinio præ alterâ illâ, quæ statuit quod titulus Servi Dei æque ut Apostoli Jesu Christi officium Pauli ecclesiasticum h. l. denotet, factâ per oppositionis particulam *δὲ* distinctione gradu, dum scilicet non nudus Dei Minister, sed è numero Apostolorum sit, qui omninò præ aliis, tanquam universi orbis Doctores, prærogativâ singulari polleant, siquidem non opus erat paulo hoc sine Servum Dei se fateri, dum Apostolatus munus id jam includebat & nulli dubitare permittebat de legitimo ejus ministerio; unde in Epistolâ ad Romanos clarius distinguit per vocem *κλήτος* Servum Dei & Vocatum se Apostolum nominando, quæ tamen vocatio etiam à Servo DEI, in respectu ad Ministerium Verbi, abesse nequit; Porro ibidem de separatione suâ mirabili ad Evangelium prædicandum differit, quæ hîc per *ἐπὶ γνωσῶν ἀληθείας τοῦ κατ' ἐπιστολῆς* innuit, Theologiæ suæ seu divinitus ad Apostolatam datæ Scientiæ rationem reddens.

§. 2. Quicquid autem horum sit: sive quis nostram Sectus mentem Servi Dei nomen generale cum fide electorum primariò conjungendū, Speciale Apostoli Jesu Christi ad cognitionē veritatis juxta pietatem referendum censeat, sive utrumque Pauli Epitheton non habitò diverso ad substantia respectu consideret, tamē de ministerio hîc sermonē esse interpretes prope omnes cōsentiant, nonnulli etiam sin-

gula ejo requisita deduci ex his posse statuunt (2) indeq; a Sco-
 po sententiæ nostræ prorsus alieni dici nequeunt: Nihilominus
 hoc interest discriminis, quod non ad Pauli personam five Mi-
 nistrum sed ad Ministerium & officii actus pleraq; applicent.
 Nobis verba *κατὰ πίσιν ἐκλεκτῶν θεῶ & ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς
 κατ' εὐσέβειαν* stant locô fundamenti & probationis, quâ nita-
 tur titulus Servi DEI & Apostoli JESU Christi, Interpretum
 verò pleriq; de objecto seu materiâ prædicationis accipiunt,
 quasi diceret Paulus: Sum ego Servus Dei & Apostolus JESU
 Christi, ut fidem electorum Dei cordibus inprimendam do-
 ceam & agnitionem Veritatis juxta pietatem prædicatione
 verbi accendam; Ast sensum immediatum ac proximum
 de qualitate Doctoris Pauli, quod ipse fidem electorum & co-
 gnitionē Veritatis juxta pietatem possideat & per hoc Theo-
 logy Apostolico munere dignus sit, explicandū esse contex-
 tus monstrat, cum suis statim nominibus subjungat hæc ver-
 ba Paulus, more sibi in aliis etiam epistolis solenni probatu-
 rus, quo jure hos titulos gerat & qualem sibi habilitatem tri-
 buere debeant Lectores fideles, de materiâ autē ad prædican-
 dū sibi creditā agat demū v. 3. ubi suam vocationem manda-
 tō JESU Christi stabilit; alterum mediatum & per bonam
 consequentiam inde fluentem esse sensum non nego: si enim
 Minister verbi in se ita fuerit comparatus, certè haud alia
 prædicando inculcabit, quam quæ ex habitu ejusmodi divi-
 nitus dato promanant. Sed nec verba tractationis nostræ:
ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῶ κατ' εὐσέβειαν pro explicatione uberiore
 fidei electorum haberi posse statuo, licet è nostratibus & Pon-
 tificis complures id affirmant: nam non reperitur particula
 quædam explicationem innuens, potius copula & repeten-
 dum esse τὸ κατὰ jubet eoque ipsò satis clarè distinguit non
 esse

(2) B. Calov. ad h. l.

esse unum idemque cum *πίστις ἐλεγκτῶν*. Quamvis enim nemo facile negaverit fidem requirere cognitionem veritatis efficacem in piâ praxi, tamen si hęc ipsò explicare velis fidei naturam, nimis angusta erit expositio, cum præter cognitionem veritatis plura adhuc includat fides nempe assensum & fiduciam, ast si verba in genere de Theologia verâ accipiuntur, hæc arbitrio suo fidem & quæ ad notitiam ac praxim divinam spectant, omnia comprehendit.

§. 3. Enigitur fundamentum quò sacri Doctoris munus nomenque tuetur Paulus! Est Apostolus JESU Christi *κατὰ* secundum cognitionem. Hæc particula omnino subintelligenda est uti paulò ante expressâ invenitur, quippe cui copula & similem jungit causam & constructio planissima ita habet: Secundum fidem electorum DEL & secundum cognitionem &c. non autem alia hęc locò ei congruit significatio, quam *secundùm. juxta*, id quod etiam Flacius & Beza affirmant; alii, & quidem maxima pars Interpretum per *circa* vertit ducti opinione ac si de objectò seu materia prædicationis paulo esset sermo, hęc sensu Christi foret Apostolus eò quod *circa* Veritatis agnitionem hominum animis instillandâ ministerium ejus occupetur: Ast præter ea quæ §. præced. in hunc finem dedimus, accedit & hoc, non facile in Scripturis hunc significatum præpositionis *κατὰ* inveniri, cujus varia notio eruditis (3) aliàs satis est cognita, sed ejusmodi exempla stylo sacrarum literarum sunt familiaria, ubi non aliter significare potest vocula *κατὰ* quàm *juxta, secundum* &c. Sic Rom. X. 2. *Ζῆλον θεοῦ ἔχουσιν ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν* Zelum DEL habent sed non *secundùm* agnitionem i. e. non nititur verâ agnitione, non est ex agnitione, vide & Rom. II. 1. Tim. I. 1. pari modò cum Paulus se Apostolum dicit *secundùm agnitionem*.

B 3

tio-

3) ap. Glassum in Phil. Sacr. Grammat. lib. III, Tract. VI. p. 57.

tionem, habilitatem personæ suæ ad munus Divinum demonstrare conatur, quæ in eò consistat quod divinâ præditus sit notitiâ unicæ Veritatis Divinæ, id quod vel maxime à Legato ac Ministro DEI requiritur, adeò ut Divina Sapientia noluerit Mundi Doctores alios quam Viros doctos, rudes quidem cum vocarentur, post in Scholâ Sapientiæ probè subactos ac Spiritus sancti dono alios Viros factos cum mitterentur. (4)

§. 4. Sub *ἐπιγνώσει* autem omnia comprehendit Apostolus quæ ex divinâ illuminatione intellectus capit, simulque declarat qua ratione ipse virtute cœlicâ sit præparatus ad digne obeundem munus Theologi. Notat *ἐπιγνώσει* omnem in genere notitiam seu cognitiouem Christiano cuius salutem consecuturo necessariam, ita ut Deus omnes homines velit salvari, & *eis ἐπιγνώσει ἀληθείας* ad cognitionem Veritatis pervenire 1. Tim. II, 4. unde prima fidei didicisse elementa, simplex in simplici homine Christiano notitia æque ac uberior & accuratior mysteriorum fidei scientiam est *ἐπιγνώσει*; hęc in locò verò cum differentia gradûs vox attendenda est, siquidem eâ effertur Sapientia Doctori Theologo necessaria, quam omninò majorem amplioremque Deus Ministris suis largiri solet præ aliis quibus minor charismatum mensura jam tum sufficit, uti Paulus mirabiliter ex pleonasmò gratiæ & immediate illuminationis Sapientiâ & cognitione erat dives factus. Dum igitur juxta *ἐπιγνώσει* se Apostolum aut Theologum profiteretur, non extra se aliquid ponit quò niti se dicat, sed de interiori suo testatur, quantum scilicet ipse donorum spiritualium intra se possideat, quibus instructus aliis etiam divinos possit recluderit thesauros: nunquam enim vox *ἐπιγνώσει* à Subiecto, cui inhæret, potest separari, cum cognitio necessariò præsupponat

CO-

(4) Dannh, Hodof. f. 17.

cognoscentem, licet error sit pervulgatus, si de *ἐπίγνωσις*, Germanicè *Erkântniß*/ loquamur, ut complures sibi non habitum intime mentibus infixum, sed norma quandam externam imaginentur, ad quam iudicium de rebus ferre oporteat; Ast *ἐπίγνωσις* hic veram niteriorem cordis notitiam denotat & quidem fiducialem cum convictione ut ambigenda locus haud unquam relinquatur, (5) siquidem verba & nomina notitiæ in Sacris literis, præsertim Hebræo, labio, affectum simul conotant, unde non tantum puram, solam aut speculativam notitiam, sed etiam aliquos proximos motus notitiam naturaliter mox consequentes seu notitiam practicam, vivam & efficacem significat, (6)

§. 5. Hoc ipsum clarius cuivis patebit si res circa quam cognitio Theologia occupatur sub examen vocetur: est enim *ἐπίγνωσις ἀληθείας* Quàm latè hic pâteat *Ἀλήθεια* five Veritas & quænam Paulus propriè sub eà velit intelligi, copiosè ab interpretibus disquiritur. Balduinus in h. l. universam Religionem Christianam veritatis voce exprimi putat, non quatenus hodie dolor! instar Protei mille formas induit, sed quatenus in doctrinâ & vitâ puram atque illibatam retinet veritatem, vid. Gal. II, 5. 14. III, 1. Ephes. I, 13. siquidem Apostolum ceu Mundi Doctorem præ aliis decebat nosse omnia in hunc finem à Deo mandata. Placet etiam plerisque interpretum veritatem simul hic opponere Mosis, quemadmodum Jo. I, 17. ita ut Paulus testetur Theologicam notitiam suam non consistere, multò minus terminari in typis aut figuris. neque Ministerium suum simile esse Mosaico, quod futuram novi fœderis gloriam tot ceremoniis tot umbris proponebat, sed ipsum veritatem in Christo nosse

ty-
(5) Seb. Schmid. Comment. in 1. Joh. Epist. cap. II, 4. (6) Flacius Clav. Script. in vocibus cognosco, novi Dannhav. Hodoceph. f. 19,

typis Veteris Testamenti tanquam corpus umbræ; imago vera delineationi oppositam Col. II, 17. Ebr. X, 1. Absit verò cum Lojolarâ Cornelio à Lapite (7) veritatem Mofi sic opponere, quasi ipse in Doctrinâ suâ veram ad Salutem viam non monstrasset: quid enim aliud sibi voluit cultus Mosaicus, quàm ad Christum mentes Perducere, in quo solo nobis ab æterno parata fuit Salus, unde tot vaticinia atque testimonia de Messia protulit literisque consignavit, quò salurarem in cordibus fidem accenderet, quinimò Paulus expressè fatetur se nihil docuisse præter id, quod Prophetæ fuerint locuti & Mofes. Act. XXVI. 22. Ἀλήθεια igitur, cujus cognitio erat penes Paulum, in doctrinâ Mosis pariter fuit contenta licet clarius à Paulo agnito & ostensa: Hinc brevibus dico: Apostolum h. l. per ἀλήθειαν idem denotare, quod Actor. XX, 27. πᾶσαν τὴν βεβλήν τῆ θεῶ appellat, siquidem omne Consiliū Dei circa œconomiam salutis nostræ prædicando aperuit, tum quantâ nos Deus gratiâ in Christo beaverit & hæredes bonorum cœlestium per fidem fecerit, tum quam arctò se nobis vinculo jungat, suæq; sanctitatis participes esse velit hos, qui nunc & æternum cum ipso uniri desiderant, uti hæc veritate Sacer Codex repletus est. Quemadmodum autem de ἐπιγνώσει diximus, eam esse notitiam cum interiori perceptione, testimonio & elencho cordis, ita nec veritas saltè externè in nudis verbis spectari potest, ac si in solo objecto eadem hæreat, sed quatenus simul in ipsum subiectū penetrat sibiq; illud conforme reddit, unde dū cognitio aliquid veri & solidi est intra animum hominis, etiam veritas, quam per cognitionem mens arripit, res ipsas eidem insinuat & efficaciter illam movet atque immutat, ut interior homo prorsus conveniat cum veritate, in ipsa radice-

(7) Comment. in h. l.

dicetur, nec alios quam consentientes veritati fructus pro-
ducere queat, hoc est quod Paulus Eph. IV, 21. dicit edoctum
esse quod *Jesus sit veritas*, quæ adeo occupaverit vires a-
nimi principiales in his qui eam cognoverit, ut aliam
planè formam induat homo interior. Et hunc valorem
omni jure veritati tribui, in sequentibus docet Apostolus,
ubi efficaciam ἀληθείας divinæ, quam ipse agnoverit, de-
clarat.

§. 6. Nunc ordine attendendus est Articulis τῆς in ver-
bis nostris, cujus locatio præsertim maximum habet pon-
dus. Non diffitetur doctissimus Glassidus singularè inter-
dum vim in præpositioe Articuli latere, ait num ardui
quid subfit, si postpositus idem inveniatur, haud definit (8)
Nobis hoc in locò ejo postpositio peculiarem indicat empha-
sin: potuisset enim salvâ sensus integritate planè omitti, sed
mirum, quantum valoris dictioni hâc articuli locatione ac-
cedat: Reperitur etiam in aliis scripturæ locis emphaticè.
v. g. Paulus in Epist. ad Philipp. I, 11. requirit ut sint
ωσπληρωμένοι καρπῶν δικαιοσύνης τῶν διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ ubi arti-
culus distinguit fructus per Jesum Christum factos ab aliis,
qui Deo laudiac honori esse nequeunt, nisi ex virtute Chri-
sti generentur & ex ejus merito gratiam sibi apud Deum ob-
tineant. Idem Act. XXV, 23. venit Agrippas cum viris
ἀνδράσι τοῖς κατ' ἐξοχὴν ἔσι τῆς πόλεως ut ostendatur, non de
Ultima vulgi fece fuisse Auditores Pauli, sed primates Civi-
tatis auscultatum advenisse, qui procerum accursus tam
frequens jure notandus, ubi quidem hōc posteriori locò ad-
ditum est Participium ἔσι, quod, si quis etiam in nostro tex-
tu velit subintelligere h. m. κατ' ἐπίγνωσίν Ἀληθείας τῆς κατ'
ἐνσέβειαν, nempe ἔσης minimè aberravit. En autem vim

C

ar-

(8) Vid. Philolog. Gramm. S. p. 168. seqq.

articuli τῆς in his verbis! Distinguitur eo ipso veritas quam Paulus agnoverat ab aliis veritatibus, ne quis sibi persuadeat, naturam cœlestis hujus veritatis similem esse reliquis, quæ si congruo sermone intellectui proponantur, & hic iisdem assensum præbeat eo quod recte illas perceperit cognitioni nihil plane deficere; Ast veritas divina circa quam cognitio Theologica occupatur in eo, habet aliquid singulare, quod non possit non pietatem includere, unde Theologus, qui cognitionem se habere dicit veritatis, habeat oportet τῆς ejusmodi veritatis, quæ ad pietatem alligata est: Imò vult Apostolus dicere: tam arcto inter se vinculo connectuntur veritas Divina & pietas, ut ne concipere quidem, nedum agnoscere possis veritatem absque pietate, simulatque hanc demeris, illa statim naturam suam amittit; hinc satis notabiliter positus est articulus Genitivi casus referentis se ad proximè præcedentem Genitivum ἀληθείας, non autem Accusativi, qui ad ἐπίγνωσιν pertinuisset; quamvis enim verò verius sit, etiam cognitionem debere esse juxta pietatem, tamen sibi blandiri & fucos facere non nemo posset, ac si ipse de cognitione sua sit certissimus eo, quod intra se eandem habeat, nec mentem hominis quisquam percontari melius possit, quam ipse homo: quicquid igitur alii de vera cognitione dicant, se parum vel nihil morari, sufficere sibi quod abundanter omnia perspexerit; Ast in ipsa re seu veritate, non in sola hominis cognitione ponit pietatem Paulus, adeo ut si hac fuerit destitutus, illico vincatur se veritatem divinam non cognovisse, quippe cujus natura ita sit comparata, ut separari ab ea pietas nullo modo possit.

§. 7. Aliam itaque Paulus non agnoscit veritatem divinam, quam quæ est κατ' εὐσέβειαν. De Præpositione κατ'

κατ' §. 3. jam tūm egimus, & hic altera vice eandem significationem *juxta, secundum* retinet, siquidem hæc particula nexum insolubilem monstrat veritatis cum pietate, quod enim secundum aliud tale est, id ipsum absque altero illo tale non est, ergo veritas est secundum pietatem & æternum durat vinculum, quo junguntur hæc duo, nec veritas illa erit vera, si spoliatur pietate. Tum & signum veritatis æternum monstratur per τὸ κατ' ut firmiter possis concludere, ubi vera pietas reperitur, ibi etiam habetur veritas divina, quia hæc ad illam se necessario refert, nec aliud habet certius κρείττερον, quam quod omnia ad pietatem dirigat: unda cum adeo hæc cœlestis veritas cum pietate sit conjuncta, non poterit etiam aliqua eam agnoscendi esse via sine pietate: Si Ἀληθεῖα ipsa secundum εὐσεβείαν, quis eam capiet nisi εὐσεβής? quis in cognitione veritatis proficiet, nisi incrementa senserit pietatis? per hujus gradus ascendendum ad pleniorē perfectiorēque notitiā Joh. VII. 17. Est autem εὐσεβεία cultus Dei non fictus ex hominum cerebro nec pictus vario hypocrifeos colore, sed verus à Deo mandatus & ex sinceritate cordis præstitus, unde tum internus tum externus sub ea comprehenditur, quem utrumq; mirificè commendat integritas & candor infucatus. Proinde mens Pauli hæc est: Aliter esse nequit, veritas divina nos de legitimo Dei cultu præstando reddit certos, ergo pietatem comitem habet individuam, nec ille qui agnitionem veritatis habere studet, cultum Dei potest negligere, alias re ipsa monstrat se nondum agnovisse, quid veritas sibi velit. Cum igitur εὐσεβεία complectatur fidem puram vitamq; rectam quatenus illis Deus colitur (9) hæc omnia dubio procul ad veritatem pertinent, & Theologus qui hanc cognovisse vult, ab

(9) vid. Chrysoſtom, ap. Gerhard. Comment. in 1. Tim. IV. 8.

partibus alienus esse nequit, alias corruiť ejus cognitio seu, quam jacta, Theologia.

CAP. II.

PORISMATICUM ET THETICUM.

I. Theologia nostras in se & natura sua, non differt à Paulina aut Apostolica.

Antequam veritatem modernæ Scientiæ Theologicæ ad amussim Theologiæ, quam Paulus & Apostoli profrentur, examinamus, necessitas requirere videtur, eorum prius satisfacere dubiis, qui utramq; inter se componere pro ridicula & tantum non fanatica habent opinione, Interim Theologos nostros à Sententia Theſeos non esse alienos, Collatio omnium prope Systematum docet, ubi natura Theologiæ jam explicatis Pauli verbis describitur. Et omnino ita se res habet quamvis enim modo & gradu revelationis inter se differant Apostolica & nostra Theologia, ut illi præ hac sua non denegetur excellentia, quippe quæ immediate à DEO inspirata & uberiori mensura erat donata, tum quia mysteria & res ipsas tum qua cognitionis *ang. l. e. u. v.* profunditatem & infallibilitatem, ut, termino Scholis usitato, *extensivè ac intensivè* præstantior dicatur, nihilominus tamen idem utriusque fons est & origo, eadem natura: *Deus splenduit in cordibus nostris*, inquit Apostolus de se sui que similibus 2. Cor. IV, 6. *ad præbendum lucem notitia gloria Dei in facie Jesu Christi*, ex quo duo fiunt: (a) Illuminationem Apostolis factam, esse quidem immediatam, sed mediatam per Apostolos aliis iterum datam, parique modo ac immediatam esse veram, cum æ-

que in aliis $\Phi\omega\tau\iota\sigma\mu\acute{o}\varsigma$ oriatur mediate per verbi Ministerium, quemadmodum Solis lumen in speculum cadens novis radiis, à natura luminis solaris hautquaquam diversis; illustrare solet res sibi è regione positas. (C) Uti Apostoli per illuminationem immediatam acceperunt cognitionem; ita & per mediatam eadem datur: est enim $\Phi\omega\tau\iota\sigma\mu\acute{o}\varsigma$ $\gamma\omega\sigma\acute{\epsilon}\omega\varsigma$, unde & nostra Theologia est $\epsilon\pi\acute{\iota}\gamma\omega\sigma\tau\iota\varsigma$ $\alpha\lambda\eta\theta\epsilon\acute{\iota}\alpha\varsigma$ $\tau\eta\varsigma$ $\kappa\alpha\tau'$ $\epsilon\upsilon\sigma\acute{\epsilon}\lambda\epsilon\iota\alpha\upsilon$, nec quo adhæc essentialia ab Apostolica differt; Plane sicut panis in terra Cananæa è rure effusus non minus Dei donum fuit, quam Mannæus panis è Cælo delapsus; Ita non minus $\theta\epsilon\omicron\beta\iota\delta\alpha\kappa\tau\iota\varsigma$ atque Deodocti dicuntur, qui oratione, meditatione, tentatione hujusmodi lumen sunt consecuti Esa LIV. 13; Jo. VI. 45. Jerem. XXXI. 34. quam qui Christum immediate audiverunt Hebr. I, 1. non minus, inquam, etsi illi majori mensura & sublimiori $\delta\acute{o}\sigma\epsilon\omega\varsigma$ modo. (10) Nimia quidem foret arrogantia si quis sanctis Dei hominibus, immediate à Spiritu sancto actis æquiparare se vellet, attamen dum eminentia his tribuimus dona, minora illa nobis à Deo data, nimium elevare nefas est. Elias magnus ille Dei Propheta, spiritu ardentè orandi divinitus erat inflammatus, nec inter mortales reperies qui paria ipsi facere aufit, nihilo secius tamen Scriptura omnibus precum efficaciam & exauditionem ejus exemplo pollicetur, addita ratione: *Elias homo erat isdem, quibus nos affectionibus obnoxius* Jac. V, 17. Sic & de comparatione Apostolicæ nostræque Theologiæ sentiamus.

II. Vera ac Solida cognitio Theologica non alio quàm unice veritatis divinæ nitatur fundamento.

Videmus Paulum multifaria alias scientia præditum, in

C 3

Pha-

(10) Vid. Dannh. Hodof. f. 19. Spenerum im Leib. Denckmahls super Act. XI. 26. p. 225. præsertim in der Glaubens- & Lehr Fests Epiphan. p. 178, seq.

Pharisaismo educatum, ejusque dogmata & veterum Traditiones accuratè doctum Act. XXII, 3. XXVI. 5. Philip. III, 5. 6. se profiteri Theologum juxta ἐπίγνωσις ἀληθείας, divino afflatu sibi relevatæ & in Sacris V. & N. Testamenti libris compræhensæ, siquidem ad Mosen & Prophetas ipse provocabat vid. c. 1. §. 5. Proinde nostra Theologia, si vera haberi velit, aliunde hausta esse nequit, quam ex fonte Sacrarum Scripturarum, in his una & immota est veritas cœlestis qua mens Theologi imbuta divinam possidet, scientiam, cum alias non nisi humanam, principio suo similem possit ostendere. Laudat mirifice Paulus Timotheum 2. Tim. III, 15. *Et quia ab infantia Sacras literas nosti, quæ poterant te, & adhuc possunt sapientem reddere σοφίῃς ad Salutem*, Ergò qui vult eruditus esse ad Salutem tum propriam tum aliis monstrandam (id quod munus esse Theologi nemo negabit,) Sacræ Scripturæ peritus sit oportet; nam non tantum intendisse Timotheus, quod summè ipsi necessarium erat, ut ad Salutem ipsemet institueretur, sed & hoc sibi videtur proposuisse, ut in munere docendi aliquando constitutus Deo & populo Dei inserviret; Suadet hoc contextus Apostolicus, pergit enim h. m. *Omnis Scriptura divinitus inspirata & utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem: ad eruditionem, quæ est in t̄is justitia, ut perfectus sit homo Dei* (Theologus docendi spartam gerens Deut XXXIII, 1. 2. Reg. IV. sæpius. 1. Tim. VI. II. 2. Petr. I, 21. qualis tu esse à pueritia cupiebas & nunc es) *ad omne opus bonum perfecte instructus*. Unde quemadmodum, Timotheus ad studium Theologicum sic progressus est, ut magis magisque incumberet Studio Sacrarum literarum, ita sane omnibus, qui Theologiæ se consecrant, idem Sacrarum literarum studium debet esse quâ commendatissimum; (II) Et licet vel maxime quis concede-

cedere nolit hunc scopum infantia sua intendisse Timotheū, attamen Paulus jam in ipso tanquam Doctore id laudat, & Ministrum salutaris doctrinæ perfectum fieri dicit notitia Sacrarum literarum, quæ unice sufficiunt ad firmandam veram Theologiā, id quod minime poteris sperare si cognitio Theologica humana saltem fiet auctoritate & persuasione credula hunc vel illum magni nominis virum procul dubio vera docuisse aut scripssisse, multo minus si ex Scholasticorum scriptis (11) aut Rabinorum commentis (12) eam hauseris, quamvis illorum disputationem obargutam subtilitatem in evolvendis fidei controversiis perquam utiles imò necessariæ, horū placita ad convertendos præsertim Judæos maximū habere pondus dicantur. Certè si Thesis quidē orthodoxæ notitia comparata fuerit, non tamen qua ratione illa ex Scripturis deprompta & super easdē extruenda sit cognove-

ris,
 (n) Est mens & conclusum Vener. Theologi D. Seb. Schmidii Præf. P. II. Coll. Bibl. (12) Quomodo Scholastici se posita Scriptura Evangelium captiosis quæstionibus obscuraverint, ut tandem Papa Interpretationis fideiq; judex evaserit, monet occasione 1. Cor. I. Seb. Schmid. in præf. der Sternsp. Apolog. Aug. Conf. p. 231. edit. Lipf. Apud ipsos (Pontificos) si qui sunt Sanioris, fatentur multas fallas persuasiones hæere in doctrina Scholasticorum, Et paulo post: Ipsi audivimus excellentes Theologos desiderare modum in Scholastica doctrina quæ multo plus habet rixarum Philosophicarum quam pietatis, Claude Fleury (Pontificus) in Catechisme Historique p. 12. fatetur ipse, quod Scholasticæ solum Theologiæ studiis innutriti nullo Successu rudioribus fundamenta fidei inculcent, sed Scripturam simplici modo explicandam esse (13) Usus argumentorum è Rab. *κατ' ἀβραάμ* depromptorum in contendis Judæis exiguum aut plane nulum opinatur Jacobus Goussier in præfatione Ternionis controversiarum adversus Judæos, Doctissimus ille quondam inter Reformatos Mr. Claude des oeuvres post humes Tom. I. p. 194. seq. observationes è Rabinis à concionibus Sacris abesse vult, quippe nil nisi variæ lectionis ostentationem præ se ferentes.

ris, cui rotum negotium laborque similis sit, similitudine Salvatoris exponere licebit. Similis namque homo fuerit ædificanti domum super arena h.e. sine fundamento: quæ si venti ingruerint & imber deciderit in eamq; impetuoſe irruerint, tota corruet & maximam ruinam dabit. **Quin** ipſa Theſeos veritas niſi ejus in Scriptura fundamentum cognitum fuerit, pro veritate non habebitur. (14) Ex limpido igitur verbi Divini fonte hauriat oportet Theologus cognitionem Veritatis qua ſemetipſum & alios doceat: (15) plerumq; enim liquor, per canales derivatus aliquid de nativa vi, claritate, imò ſapore deperdit. **Quemadmodū** autē in jam adducta Chriſti ſimilitudine ex Matth. VII, 24. ſeq. Viro ſuper arena ædificanti comparatur ille, qui audit nec tamē facit ſermones Dei, contra audiens ſiſnūl & faciens ſuper petra ſtruenti ſimilis eſt; Ita ſi Theologia non ſuper lubrico humano ſed immodato veritatis divinæ fundamento ſtare debeat, haud quaquā ſufficit nuda Scripturæ verba legere, penſitare, ſcrutari, reſervata horū interpretatione rationis iudicio, ſed ſenſu plano ſermone a Spiritu S. monſtratus ſubmiſſe debet apprehendi, animuſq; ad eſſe flexilis, liber à præconceptis opinionibus & a Spiritu Doctore diſcendi cupidus alias indociles parumque firmati detorqueſnt Scripturas ſuæq; Pſeudo Theologiæ in iis aſylum quærunt; aſt irritò ſibiq; exitioſo conatu 2. Pet. III, 16. In primis veritas divina conſiſtit in rebus ipſis, quæ ad fidem & Sanctimoniam ſpēctant, eaſq; Theologia intimiuſ pernoſcit, mentem harū effiçacia convenienter eſſormat, affectuſ

rebus

(14) Sæpe laudatus D. Schmid. in præſatione P. I. Coll. bibl. (15) Memorabilis eſt Canon Synodi Londinenſis 1571. tit. de Concio. In primis videbunt ne quid unquam doceant quod à populo religioſe teneri & credi veſint, niſi quod conſentaneum ſit doctrinæ Ver. & Nov. Teſtamenti, quodque ex illa ipſa doctrina Catholici Patres & veteres Epifcopi collegerint.

rebus tantæ sublimitatis congruentes excitat, ut adeo Theologus se habere cognitionem Veritatis intus persentiscat foris vivo exemplo ostendat: Sicuti enim in genere verè fidelibus *per agnitionem omnia donantur, quæ sunt divinæ Virtutis ad vitam & pietatem* 2. Pet. 1. 3. Ira in specie verbi doctor ipse fit *δυνατός* potens exhortari, consolari in doctrina Tit. 1. 9. Sentit ipse divina solatia *εις τὸ δυνατός, ut iterum potens sit alios solari* 2. Cor. 1. 4. quod sanè de eò dici nequit, qui verba non res Scripturæ cognovit, ubi quidem penes Dei Sermonem manet efficacia, ast Doctor seu Minister verbi *δυνατός* potens non est.

III. Uti ipsa divina Veritas simul consistit in pietate, ita ejus cognitio si- ve Theologia non nuda contemplatione sed pià praxi absolvitur.

Ἄλληθεια κατ' εὐσέβειαν! Sic cohærent invicem hæc duo ut separari salvâ utriusque naturâ haud possint: simulatque enim Veritatem salutarem consideraveris, intrinsicam ipsi seu intimè unitâ cognoscas necesse est pietatem. Annon ad veritatem hanc pertinere dicendum est, quicquid verum Dei cultum, amorem, timorem concernit? Aut quò jure virtutem rerum spiritualium efficacem factò ipsò, quâ corda regenerantur, immutantur & novus homo voluntati Dei obsequens succrescit, à veritate cælesti adjudicabis? Cerrè nisi eandem aliis artibus ac profanis scientis similem, expressè hic contradicente Paulo, velis habere, non poteris non ejus naturam in pietate simul ponere: quippe hoc reliquis etiam commune est, ut rem per verba intelligibilia docent, declarent, menti cognitionem infillant, ut, sepositâ dubitationem, assensum præbeat & *efficacem nonnunquam moralem* sentiat;

D

Aff

Ast cœlestis veritas Spiritu divino fecundata spiritualium ac salutarium motuum plena est, qui omnes ad pietatem tendunt, ideoque ipsi (veritati) essentialia non immeritò dicuntur. Magnum incarnationis mysterium *εὐσεβείας* esse ait Apostolus 1. Tim. III, 16. quis ejus naturam à pietate posse se jungi affirmet? unde Ephes. IV, 21. sic concludit Apostolus: Si Christum didicerint Ephesii, si ipsum audiverint & in ipso docti fuerint, quomodo sit veritas in Jesu, talem necessariò intelligant veritatem, quæ luxuriæ, operationi impuritatis, avaritiæ aliisque operibus carnis è diametro repugnet, & hæc est connexa pietas, Lutheri nostri versione satis emphaticâ: **Das rechtschaffene Wesen in Christo.** Dicis: Habetur veritas divina v.g. Historica, quæ cum pietate parum vel nihil habet commercii, tantùm abest ut natura ejus pietatem involvat. Respondeo: principaliter hic intelligimus veritatem fidei salutaris, tametsi secundariò ad alias quòque id extendamus; præter ea non verba solùm, sed res, sed scopus historiæ attendenda sunt, tametsi quædam incidant jucundè contemplabilia, semper tamen ex intentione Spiritus sancti ad praxin referenda. De fugâ Mosis ex Ægypto Exod. II. sacra agit historia, ast nervum pietatis sub eâ latentem explicat cap. XI. Epist. ad Ebr. v. 14. seqq. & abnegationem sui efficacissimè docet. (16) Cùm igitur sic comparata sit veritas divina, ut in pietate simul consistat, quâ quæso specie Theologia eam agnovisse aut ex eâ tanquam fonte derivata haberi potest, nisi illa, quæ cognovit, piâ praxi etiam exprimat, unde inter nostrates Theologos non facillè erit qui diffiteatur esse Habitum practicum, quem titulum si re ipsa tueatur Theologia, Paulinæ *ἐπιγνώσει ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν* egregiè

(16.) Similia vide exempla in Arndtii Christianismo lib. I, cap. VI.

giè respondebit. Objicis: Non sequitur, quia veritas divina est juxta pietatem, Ergò cognitio Theologica, quæ circa hanc veritatem occupatur vera esse nequit, nisi ad praxin in omnibus tetenderit, sed hoc tantùm inde fluit: Ergo veritas aliter considerari aut cognosci haut potest, nisi cum continuò respectu ad pietatem quam continet, præcipit, commendat, ita ut ex Theoreticis practica scienter & convenienter deducantur. At si rectè rem penitaveris, nonne contradictoria erunt: Veritas divina constat ex parte pià praxi & tamen nudâ speculatione hæc veritas potest tractari? quid cœcus de colore judicabit? nonne ridemus inexper- tos eò quod bellum ipsis dulce, dum speculando milit- tant? Natura igitur veritatis cœlestis non permittit, ut solâ contemplatione eam aliquis perscrutari possit: nam quæ in eâ continentur præcepta practica, non sunt objectum solius Theoriæ sed norma exercitii vivæ fidei; imò interior homo occupatus in verio Dei cultu & infucatæ pietatis fructus fe- rens ibi depingitur, si hæc talia efficaciter velis cognoscere, non sufficit profundè speculari, (sæpius enim transcendunt speculationem) sed ipse ralem induas habitum oportet: *Discite a me*, dicit Salvator Matth. XI. 29. non contemplando, sed ju- gum meum attollendo, mansuetudinē & humilitatem meam imitando; spectant Lutth. nostri verba: *Non intelligendo, legen- do, speculari, sed vivendo imò moriendo & damnado sic Theologus.* Licet igitur infallibilis sit veritas: Hæc est vita æterna ut re *cognoscant* Joh. XVII, 3. *subintellige tamen cognitionem affectivâ & dilectivâ*, (ut vocat Dannhauerus) cognitione Dei amicis propriâ, qui faciunt mandata sibi à Christo, eaque pro- pter omne consilium Patris notum ipsis reddit Joh. XV, 14. 25. Et quid? apertis verbis dicit Salvator: *si quis voluerit*

voluntatem ejus qui misit me facere quovis sciat cognitionem habebit de doctrinâ, num ex Deo sit, num ego verò de me ipso sim locutus. Joh. VII, 17. Ecce! verba Christi an divinæ sint veritatis vere cognoscere vanum est, nisi pietas cordibus fuerit infixâ. Accedit quod, monito Paulinò 1. Thess. IV, 1. indies capere incrementa non possit, cui pietatis exercitium deest: solummodò enim amorem nostrum cognitione & sapientiâ dicit Deus Philipp. I, 9. Coloss. I, 10. hoc est quod salvator exprimit per *ἐμφανίσω αὐτῶ ἐμαυτὸν* Joh. XIV, 21. nempe clariori cognitionis lumine, majori mensura notitia huic qui me diligit & precepta mea servat. Proinde longè abest à Theologia, qui, pietate fusque dequehabitâ, *ἀντιθέσις* tantum affectatæ gloriolâ extra se positus, de omnibus disputare, hæreses fingere & refutare allaborat, his omnibus veram cognitionem Theologicam nullatenûs tuebitur. Sic. B. Chemnitius, *Coelum illud nostræ, Ecclesiæ, (17.) semper, inquit, cogitandum est Filium Dei non eam ob causam produisse ex arcanâ Sede eterni Patris & revelasse doctrinam caelestem ut semina spargeret disputationum* quibus ostentandi ingenii causa luderetur, sed potius ut homines de verâ Dei agnitione & omnibus iis, quæ ad eternam salutem consequendam necessaria sunt erudirentur. Ideò præcipua cura esse debet in singulis locis, quomodò & quâ ratione doctrina tradita accommodanda & referenda sit ad usum in seriis exercitiis pœnitentiæ, obedientiæ & invocationis: Ita enim mentes proficient simul & doctrinâ & pietate. Verè enim dictum est, Theologiam magis consistere in affectu quàm in cogi-

(17.) LL. Theol. P. I. p. 17.

gnitione. (18.) Idem alibi (19.) *Benefica, ait, Patris Filii, & Spiritus Sancti non in otiosis disputationibus agitata, sed in praxi Articuli justificationis exercenda sunt: Ita enim rectissime*

intelligentur. Insuper non nego, quod sensu contrario imbuti aliquam rerum divinarum cognitionem & eruditionem indutriâ suâ inveniunt, sed non aliam, quàm literalem, ventosam, omni divinâ virtute vacuum: Cum enim Theologus ἐν θεοῖς 1. Cor. II, 1. 4. ad suos Auditores venerit καὶ ὁ ἴσχυρος λόγος ἢ σοφίας sermoque ejus & prædicatio fuerit καὶ ἐν κειθεῖς ἀνθρώπων σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνευματικῆς καὶ δυναμικῆς hi spiritus planè ignari (forte etiam ad nomen tanquam aliquid Enthusiastici sonaret horrentes) atque virtutis omnis expertes, idolon sibi fabricant humanam, licet circa sacra verba occupatam, sapientiam & humanæ persuasioni accommodatam loquentiam, hoc idolon, quod semper colant aliisque colendum proponant sibi comparare student, longissimè à rectâ viâ aberrantes, eaque quâ incedunt ad Spiritus virtutem pertere impotes (20.)

IV. Hæc vera Theologia non viribus naturæ sed Gratia ac illuminationis divinæ comparatur.

D 3

Est

(19.) Megalander noster Lutherus Tom. VII. Altenb. f. 622. verba habet latinè sic expressa: Non docendo sed disputando amittitur Veritas: Hoc enim malum Disputationes secum afferunt quod animi quasi profanantur & rixis occupati, quæ præcipua sunt, negligunt. Henr. Wotton nobilis ille Anglus Ephitaphii loco simplex marmor sibi poposcit, cui nil nisi sequentia insculpi testamento iussit: Hic jacet hujus sententiæ primus Auctor. *Disputandi pruritus Ecclesiarum Scabies* Nomen aliàs quære. Vid. Reliquias Wottonianæ Londini 1685. (19.) in Harm. Evang. c. XLVI. p. 571. (20.) Utor verbis sincerè Theolog. Vener. D. Speneri in Præfat. de Imperdim. Studii Theol. Tabb. Hodosophicis Dannhauer. præmissa,

Est enim talis, juxta quam Paulus se proficitur Apostolum Jesu Christi, quæ veritatem divinam inque eâ Deo gratum cultum cognoscit, imò quæ spem Paulo facit haud dubiam v. 2. vitâ æternâ potiundi; hæc cum homini sibi relicto fiat ignota & impossibilia, non possunt non de viribus gratiæ ac lumine divino testari. Et quid? summus ille gentium doctor propriam rejicit *ἰναυτότητα*, nihil prorsus suis viribus tribuens tum in cognoscendo tum docendo veritatem divinam Evangelii 2. Cor. III, 5. 6. Certè quod paucis est maximi ponderis verbis effertur 1. Cor. XIII, 3. *neminem posse Jesum dicere dominum, nisi in Spiritu sancto*, sole clarius ostendit veram quam diximus Theologiam esse lumen accensum à Spiritu S. aliàs enim fatetur Salvator, plures quidem fore qui *Domine Domine* ipsi acclamaverint, à se tamen non agnitos regnoque cælorum exclusos Matth. VII, 21. 22. utut externâ oris professione & notitiâ literali cum his convenerint, qui internâ Spiritûs virtute moti Christum fatentur *κύριον* non nudum nomen sed ejus vim ipsâ praxi agnoscentes Rom. XIV, 7. 8. 9. 2. Cor. V, 15. Nec aliter se res habere potest: Siquidem non in *cortice* hæret Theologus, sed *medullam* ipsam degustat, non solum Scire ipsi sufficit, sed rem percipit, internâ Spiritus obfignatione de eâ certissimus. Unde Theologia mentem Christi & cognoscit & in se habet: Quis, inquit Apostolus, cognovit mentem Domini? Nos verò mentem Christi habemus, 1. Cor. II, 16. Vah! quantum est Christi habere mentem? thesaurus sapientiæ nosse & pari cum ipso affectu regi? Mens enim Christi in nudâ literâ consistere nequit, ut hæc cognitâ eandem me percepisse dicere possim, verum totus homo interior in amore, in desiderio & motibus animi suaviter cum ipsâ conspirat: Sic senties unum cum Christo, si eum sincerè imiteris, *ταῦτο γὰρ φρονέειτω ἐν ὑμῖν ὁ καὶ ἐν χριστῷ ἦτορ* monet Paulus Salvatoris humilitatem imitandam proponens Phil. II, si seqq. Summa: intel-

intellectus clareat divinâ luce, voluntas ardeat cœlesti amore, tunc adest mens Christi, hanc verò sine Christi Spiritu quis habebit? cerrè hœc deftitutus non habet partem in Christo Rom. VIII, 9. Unde satis emphaticè opponit Paulus se sui que similes aliis, qui Mundi Spiritum (multum licèt naturalis eruditionis spirantem) habent; nobis verò, inquit, revelavit Deus per Spiritum suum, uti nemo melius de occultis hominis testari potest ejus Spiritu, ita nec de iis quæ in Deo sunt Spiritu Dei, per hunc nos habemus mentem Christi: 1. Cor. II, 10. seqq. est enim πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως Ephes. I, 17. Si quis igitur ex Scripturis mentem Christi cognoscere velit, non solâ ingenii perspicacitate aut cumulatâ industriâ id assequetur, sed Spiritus Sancti ope atque illuminatione, alias externam tantum non internam Scripturæ capiet claritatem (21.) quæ sola verum format Theologum.

V. Ir-

(21.) Lutherus Tom. III, Altenb. f. 167, b. Ut breviter dicam: duplex est claritas Scripturæ sicut & duplex obscuritas. (vid. & Höpfer. LL. Theol. I. p. 73.) Una externa in verbi Ministerio posita, altera in cordis agnitione sita. Si de *internâ* claritate dixeris, nullus homo unum Jota in Scripturis videt nisi qui Spiritum Dei habet, omnes habent obscuratum cor, ita ut si etiam dicant & norint proferre omnia Scripturæ, nihil tamen horum sentiant aut verè cognoscant. Neque credunt Deum, nec se esse creaturas Dei, nec quicquam aliud juxta illud Ps. XIV. dixit insipiens in corde suo, Deus nihil est: Spiritus enim requiritur ad totam Scripturam & quamlibet ejus partem intelligendam. Si de *externâ* dixeris, nihil prorsus relictum est obscurum aut ambiguum, sed omnia sunt per verbum in lucem producta certissimam & declarata toti orbi quæcunque sunt in Scripturis. Idem Tom. I Altenb. f. 106, b. Ich weiß hier keinen andern Rath denn ein demüthiges Gebet zu Gott/ daß uns derselbe Doctores Theologiæ gebe. Doctores der Kunst der Argeneyen/ der Richter/ der Sententien mögen der Pabst Kaysers und Universitäten machen; Aber sey nur gewiß einen Doctor der heil. Schrift wird dir niemand machen denn allein der Heil. Geist vom Himmel/ wie Christus sagt Joh. VI, 45. Augustin. Epist. 105. nemo rectè sapit, rectè intelligit, nisi acceperit Spiritum Sapientiæ & intellectus.

*V. Irreginitus, sive fuerit Gentilis ac infidelis, sive peccato aut Mundo serviens, non potest esse & haberi verus Theologus **

Clara res est: quoniam uterque non habet *ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν* sine quâ veri Theologi nomen jure gerere nemo potest. Ethnicorum quidem Scientia, circa naturam & cultum Deorum occupata, Theologia dicitur Scriptoribus; (22.) Ast uti λεγόμενος solùm erant θεοί, ita nec Theologia majoris pretii judicanda est, quippe cui hoc nomen improprie, Matæologiæ propriissime convenit. Nec dubitare fas est Christianos de hac Gentilium incapacitate, quod

† Idem quod rem sentit acutissimus Theologus B. *Joh. Musæus*, quando in Collegio MScto ante complures annos habito ea de re hunc in modum disserit: Si spectemus Theologiæ naturam per se, qualis per se est ac esse debeat, tunc dicimus, Theologiam includere & præsupponere in subiecto fidem salvificam, id quod hunc in modum ostenditur: Theologia per se est Hæbitus Practicus, ac per se & essentialiter consistit in eo, quod dirigat hominem ad actionem seu operationem, id quod Theologiæ cum omnibus Hæbitibus *Practicis* commune est. Praxis autem Theologica sine fide salvifica stare non potest. Fides enim hæc est principium omnium actionum Theologicarum. Quia igitur Theologica per se est disciplina practica dirigens hominem ad operationem, operatio autem Theologica haberi non potest, nisi adsit fides, necessarium utique est, ut quilibet Theologus habeat veram ac salvificam fidem. Quod si verò contingat, ut in aliquo sit hæbitus Theologiæ, qui fidem hanc non habet, id ex accidente est, & *accurati loquendo* is non magis & Theologus, quàm is Ethicus, qui præcepta Ethica intelligit, de iis eruditè disserit, ea que defendit, nec tamen Ethicè i. e. secundum virtutes Ethicas vivit, id quod in suis *Nicom.* pulchrè ostendit *Aristoteles Conf. & Disp. Theol. I. Av. 49. ed. §. 9.*

(22.) Apud Augustinum l. VI. de C. D. c. 5. 6. & 7. multa adducuntur de triplici Theologiæ gentilis genere quorum unum Mythicum, alterum physicum, tertium civile. Prima Theologia maximè accommodata est ad theatrum, secunda ad Mundum, tertia ad Urbem.

quod sibi relicti lumine nativo ad Sacra Theologiæ adyta penetrare nequeant: naturalis enim homo non capit ea quæ sunt Spiritus Dei, stultitia ipsi est nec potest cognoscere 1. Cor. H, 14. Quò ipsò homini irrogenito, naturali, qui extra statum gratiæ est, licet aliàs egregiè doctus & vario scientiarum genere repletus sit, denegatur potentia non solum inveniendi aut excogitandi spiritualia (23.) quæ ad veritatem in agnoscendo colendove Deum pertinent & præsertim ejus bonitatem in Christo exhibitam concernunt; aut solum iis assentiendi, sed nec cognoscendi ritè ac percipiendi proposita aut præscripta in Sacris paginis, uti & τὸ capere, ne quis illud de reali saltem participatione & usurpatione intelligat, additur τὸ γινώσκειν, quod etiam cognitionem veram & genuinam non concedit: *ratio est, quia hæc spiritualiter judicantur, ut statim additur.* Idem luculenter affirmat verba Pauli Ephes. IV, 8. ubi Ethnicos describit, ut tenebris obscuratam habentes mentem & alienatos à vitâ Dei propter ignorantiam, quæ est in ipsis, per obdurationem cordis ipsorum: quis igitur ipsis durante hac cæcitate naturali, quicquam de verâ & genuinâ agnitione aut cœlestis Theologiæ lumine poterit adscribere? Hoc ipsum uti immotâ nititur veritate, ita non minus certum est, illum qui peccato fervit aut Mundo adhæret à verâ Theologiâ longè abesse, tamen in gremio visibilis Ecclesiæ orthodoxæ vivat, Sacrò quondam Baptismi lavacrò sit regentius, Scripturam Sacram normam & fontem Theologiæ fateatur & cæteroquin omnibus ad munus Theologi factis videatur habilis: nam assumamus denuò jam citata Pauli verba Eph. IV, 17. seqq. ibi Paulus non ad Gentiles, sed conversos & regenitos scribit Ephesios,

E ipsis

(23.) Emphasis dicti probè attendenda, aliàs à Socini & Arminii affectis ad inventionem & excogitationem detorquetur ac si illa non verò cognitio denegetur *ψυχικῶ ἀνθρώπων* vid. Nicol. Hunnium in Exam. Error Socin. l. 2, c. 4. B. Calov. confid. Armin. c. 1. §. 7. p. 51. seq.

ipsis autem dicit & testatur in Domino *ne ambulent tanquam reliquæ gentes in vanitate mentis suæ tenebris obscuratam habentes mentem, qui lascivie se dederunt ad patranda[m] impuritatem, vos autem non ita didicistis Christum*; Nonne firmiter concludit Apostolus: Si ambulatio vestra similis est reliquis gentibus in lascivâ & operatione impuritatis in vanitate mentis, (quâ Mundi amorem, quàm subtilis etiam velit videri, graviter stringit) etiam occæcati estis & in ignorantia atque caligine versamini sicut gentes, quippe quæ impiâ ambulatione *πῶς οὐκ* cordis testantur: Vos verò Christum sic non didicistis (hac ratione nulla penes vos est cognitio Christi) siquidem edocti estis quod in ipso sit veritas, (quam autem vos neutiquam nosse ostenditis) En! pariratione quâ in gentilibus morum pravitate[m] cum ignorantia & mentis caligine conjungit Apostolus, etiam in Ephesiis simul stare posse negat, Christum nosse & juxta mentis vanitatem vitam degere, ideoque pari passu ambulant gentilis & peccati servus ore licet regnitum se pronuncians, uterque veræ Theologiæ capax non est, cujus rei plura in scripturis testimonia non desunt: Certum & exploratum est veritatem cœlestem sine lumine ductu & auxilio Spir. Sancti *verè* aut *salutariter* cognosci haud posse; jam autem Salvatoris expressa sunt verba: *Spiritum veritatis Mundus accipere non potest* Joh. XVI, 17. ubi mundum suis sinceris discipulis opponit, nec solum intelligit à societate Ecclesiæ etiam externâ exclusos, sed eos qui in ejus cœtu simul vivunt, interim tamen Mundi Spiritu reguntur; ejus amore capit, vanis ejusdem crepundiis honore, opibus, voluptate delectati cœlestes thesauros negligunt aut frigidè saltem experunt, licet affidui sint in legendo Dei verbo, & notitiâ rerum divinarum fat amplâ polleant, quales Sacerdotes summi; Pharisei, Scripturæque periti tum temporis in populo Judaico erant vel hōc
uno

uno testimonio probantes v. g. persecutione discipulorum Christi, se Mundi spiritum agnoscere rectorem, de hoc Mundo sonat effatum Christi: non potest Spiritum veritatis accipere, quo quidem haud negat omnes motus Spiritus Sancti quibus excitat, increpat, pellit ad obsequium Christi, sed hoc solum modò Mundus accipere nequit, ut inhabitetur à Spiritu, ejus lumine perfundatur, atque ita illuminatus divinam veritatem cognoscat. quæ si deficiant, vanò certè ausu Theologiæ superbitur nomine. Graviter annunciat Paulus 2. Corinth. IV, 4. quod *Deus hujus seculi excæcet mentes infidelium* (peccatorum scilicet tenebras amantium (24.) *ne fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi*, En! inter infideles & excæcatos numerantur in universum omnes, qui Deo hujus seculi parent sub jugo peccatorum ultrò quidem est miserè vapulantes. Hi tales licèt puræ fidei *quæ* creditur doctissimi nonnunquam prædicentur assertores aut defensores, Scripturæ tamen iudicio in respectu ad fidem *qua* creditur audiunt excæcari, infideles, quippe cælesti carentes lumine sine quò cæcitas naturalis fugari & fides accendi nequit. Imò miseranda prorsus, teste Johanne 1. Eph. II, 11. homines est conditio, pravo dum appetitui obtemperat: *qui odit fratrem suum* (si vel maxime ex invidiâ saltèr aut æmulatione id fiat, ut honore, opum affluentia aliisve bonis ipsi par esse cupiat) *in tenebris est* (caret verà cognitione) *& in tenebris ambulat* (voluntas opera tenebrarum amat & patrat) *nescit quò vadat* (quidnam veritas divina requirat) *quoniam tenebra occæcarunt ejus oculos*, verum enim est de baptizatis seu regeneritis, si contra conscientiam aliquid patrârint, & peccato in mortali suo corpore dominium concesserint, Spiritum Sanctum in se ipsis contristant &

E 2

amit-

(24.) Gethardo interprete, Method. Stud. Theol. P. I. c. 2. p. 15.

amittunt, (25.) Contra: Arcanum Jehovah adest reverentibus ipsum & scdus ejus ut experimento testetur eis, ait Psaltes Pf. XXV, 14. ubi B. D. Geieri commentationem adjicere lubet: *Deus familiariter cum ipsis agit, secreta sua in verbo sancto revelata ipsis communicat per internam Spiritus sancti illuminationem, ubi contra, impii à veri Dei voluntatis-que ejus notitiâ longissimè absunt;* Huc illud Christi Joh. XV, 15. *Apostolus suos dicentis amicos obmysteriorum communicationem.* Sic Job. XXIX, 4. *Secretum Dei fuit in tabernaculo meo.* (26.) Superest ut ordine in nonnullis fidei articulis demonstremus quantum cœturiat ejusmodi nomine solum Theologus qui vel enormioribus se peccatis poluit, vel genio suo mundiquè deliciis indulget in concupiscentiâ carnis, oculorum & Suberbiâ vitæ, quò Mundi amore caritas Patris & Spiritus Sanctus, qui ex caritate datur & ad charitatem nos inflammat, eliminatur 1. Joh. II, 15, 16. Fundamentum omnis nostræ fidei & veræ Theologiæ est unica Scriptura Sacra, ad hanc provocamus longè majori jure & pondere quàm Pythagoræ quondam discipuli ad Magistri sui *αὐτὸς ἔφα!* Scripturam autem tanquam verbum Dei divinâ fide amplecti inque eadem firmissimè niti naturalis homo sibi relictus haud potest, sed Spiritus sancti operatio accedat necesse est, *hic est ille qui testatur* (internâ convictione cordis) *quod Spiritus (vis & testimonium verbi) sit veritas* 1. Joh. V, 6. *per hunc obfirmamur tanquam per Spiritum promissionis* (qui eam in Evangelio factam nobis reddit infallibilem) 2. Cor. I, 22. Ephes. I, 13. *hic est χρίσμα quod de omnibus nos docet & verum est nec est mendacium* 1. Joh. II, 27. inde

(25.) Form. Concord. p. 675. (26.) Quî testimonia nostratim Theologorum cumalata legere desiderat, evolvat libellum Dn. D. Speneri die allgemeine & Dites Gelehrtheit/præsertim P. I. p. 138. seqq.

inde Theologum reputaveris hunc, qui mundi non Christi Spiritu actus ipsam Scripturam Sacram tacite rejicit, & licet millies se super eam fundatum dicat, tamen non divinam fide (quæ Spiritus sancti ab ipso alieni opus) sed humanam saltem eam credit, unde ob signationis internæ operis fallibili quâdam, etiam si sit speciosâ persuasione nititur, atque adeo ne intelligit quidem quanta in veritate Scripturæ sit certitudo. Experiamur idem circa Articulum Justificationis Hominis peccatoris coram DEO, qui omni jure caput totius Theologiæ seu doctrinæ Christianæ nominatur; Hic abominanda peccati lues probe agnoscenda, uti ipse Apostolus requirit, dum Rom. III, 25. ab initio ponit: *Omnes peccaverunt & destituuntur gloria Dei,* postea: *Justificantur gratis &c.* Ut necessitas & magnitudo beneficii nobis innotescat; At qui peccata non detestatur, sed iisdem delectatur, præsertim subtilioribus illis, quæ concupiscentiam & pravam cordis voluptatem titillant, minime agnovit tam exitiosam esse peccati labem; Egregie loquitur hæc de re Augustana Confessio (27.) *Tota hæc doctrina (de justificatione) ad illud certamen per terre facta conscientia referenda est, nec sine illo certamine intelligi potest. Quare male judicant de eâ re homines imperiti & profani.* Unde nec Christi justitiam, suo diffusus merito, apprehendere novit naturalis ejusmodi homo, quippe non intelligens quid aut quantum sit aliena, hoc est, Christi justitia vestiri: Paulus enim Dei Spiritu illuminatus divinoque motus affectu & gaudio erumpit Philipp. III, 8. 9. *duco pro stercoreibus omnia (quæ ad propriam spectant justitiam,) ut Christum lucrificam, & comperiar in eo non habens meam justitiam, quæ est ex lege*

lege sed eam qua est per fide[m] Christi, justitiam ex Deo per fidem; cum igitur mundo & peccatis adhærens non habeat Spiritum Sanctum oculos sibi aperientem, neutquam percipit, quid si justitiam ex Deo habere, in verbis hæret, rem non percipit. Spectat eò Apologia Aug. Conf. (28.) dum contra meritum congrui & condigni disputat: *Tota hac res, inquit, conficta est ab otiosis hominibus, qui non norunt quomodo contingat remissio peccatorum & quomodo in judicio Dei & terribus conscientie fiducia operum nobis excusatur. Securi hypocrita semper judicant se de condigno mereri sive adsit habitus ille sive non adsit, quia naturaliter confidunt homines propria justitia.* Quamvis igitur sic in statu irrogenito vivens iatis temerarie ad Christi justitiam provocat, intra se tamen eandem rejicit, sibi suæque falsæ persuasioni cordis confisus; Id quod ex hoc clarum est, quia veram fidem planè non habet quæ in justificatione tantum non omnia facit: Simulatque enim homo verâ fide apprehendit Christi justitiam eaque propter Deum sibi placatum sentit, non potest non ardenti amore hunc salutis suæ auctorem amplecti, ad quævis sanctæ obedientiæ genera paratissimus, cum antea servili planè timore eundem fugerit; „Habet quæ huc spectant multa Apologia Aug. Conf. (29.)
 „Facile est, ait, otiosis fingere ista somnia de dilectione,
 „quod reus peccati mortalis possit Deum diligere super omnia, quia non sentiunt, quid sit ira aut judicium Dei. At
 „in agone conscientie & in acie experitur conscientia vanitatem illarum speculationum Philosophicarum. Item: hæc
 „fides in illis pavoribus erigens & consolans accipit remissionem peccatorum, justificat, & vivificat, nam illa consolatio

(28.) p. 63. (29.) pag. 66, 71, vide & similia verba p. 82.

tio est nova & spiritulis vita, (h. m. quoniam ex grato animo non sibi sed Deo vivere studet justificatus sentiens pacem & solamen conscientiae ex sua cum Deo reconciliatione) „Et paulò post pergit: de tali fide loquimur, quæ non est otiosa cogitatio, sed quæ à morte liberat & novam vitam in cordibus parit, & *est opus Spiritûs Sancti, non stat cum peccato mortali* sed tantisper dum ad-
est bonos fructus parit. En igitur Theologum, qui fidem nescit! otiosam eam putat esse notitiam, cum tamen per charitatem sit efficax Gal. VI, 6. peccatorum domino haud ad-versam, cum iustitiam operetur Ebr. XI, 33. Mundi vanitatibus adhaerentem, cum Mundum vincat. 1. Joh. V, 4. Quid nosse hunc talem speremus de Conversione, Regeneratione, internâ Spiritûs Sancti operatione, quæ omnia ex ritè cognitâ fidei naturâ sunt judicanda: hanc autem ille in carnali securitate & vanâ persuasionè quærit, (30.) Num de Christo ejusque officio Mediatorio rectè poterit sentire ille, qui fide divina Christum non credit, Spiritum ejus expellit, mentem Christi imitari pro ridiculò aut absolutæ in hac vita perfectionis somnio habet? Certè statum exinanitionis, in quò Dei Filius nostro bono vixit & mortuus est, nunquam verè cognoscet, vana ambitione turgens & in omnibus propriam aucupans gloriolam: *Hec sit vobis mens quæ & Christi erat, qui seipsum exinanivit &c.* monet Apostolus Philipp. II, 5. sine hac abnegatione sui non poterit intelligi Christi exinanitio. Similiter de aliis veritatibus divinis judicandum. Concludo igitur cum summè Rev. Dno. Spenero (31.) ☞
Iteſ

(30.) Multi torpentes & secuti Christiani sibi opinionem quondam loco fidei imaginantur, cum tamen veram fidem non habeant, Form. Conc. III, p. 169. (31.) Part. II, Gottesgelehrtheit p. 51.

ließe sich noch fragen / ob wir der Theologie nicht mehre-
 re Ehre thäten / daß wir solche temulentos scortatores,
 rixosos, pugnaces &c. Theologos zu des Concilii Tridentini
 fidelibus fornicariis, adulteris, furibus, avaris, ebriosis &c.
 zusammen setzten und es vor eine Contradictionem in
 adjecto hielten. Imo si scapham scapham dicere velimus, o-
 mnino res ita se habebit. At dicis: Videtur impossibile
 ejusmodi Viro denegare cognitionem veritatis, qui de omni-
 bus fidei articulis quam accuratissimè potest disserere, cau-
 tè distinguere, arguitè disputare, nervosè explicare scriptu-
 ras, ita ut earum mentem auditor capere cum applausu pos-
 sit. Respondeo: Hæc & alia dona ex bona indole, ingenii
 felicitate, judicii *angelicæ* fluentia homini naturali concedo,
 veram & salutarem cognitionem nego: Verba scripturæ leg-
 git, audit & intelligit, spiritualem sensum non assequitur. Sic
 Pharisaici legis Doctores & scripturam Magistri (Matth.
 XXIII, 2. Rom. II, 19. 1. Tim. I, 7.) cæci à Christo pronuncian-
 tur Matth. XV, 14. quod oracula divina spiritualiter haud in-
 tellexerunt, (32.) Distinctè itaque sentiendum de eò qui

ve-

(32.) Calov. Exegef. Aug. Conf. Art. V. c. 3. §. 9. D. Justus Feuer-
 born. Anti Ostorod. Disp. II. p. 17. Docemus quod quidem homines
 irrogeniti queant absque speciali Spiritus Sancti gratiâ notitiam Sac-
 ræ Scripturæ externam, historicam & literalem adipisci (idque tes-
 tantur exempla Judæorum aliorumque infidelium nec non hæreti-
 corum S. literas scrutantium earumque externum corticem & lite-
 ram perspectam habentium memorareque eam & alegare scien-
 tium) ast non internam & spiritualem nempe salvificam *γνώσις* & fi-
 duciam: utpote quam Spiritus Sanctus per verbum divinum scri-
 ptum, prædicatum studiosèque lectum & auditum in hominibus
 accendit. B. Avus meus Hülsemannus de Auxil. Grat. quæst. III.
 §. 5. n. 1. Ex parte objecti sunt res ad credendum ne cessariæ eviden-
 tes, quantum ad nativam vocum & phrasilogiæ significationem &
 congruentiam significationis nativæ cum rebus significatis attinet:

*veritatem dicit profert & veritatem
agnoscit seu ex veritate est,*

prius etiam Gen-
tili, Atheo & Impactæ largimur, posterius non itidem. Sin au-
tem urges, id cognitionem debere vocari: erit externa saltem
& admodum insufficientis, quæ verba tangit, non res modo di-
vinò intellectui imprimendas, similis illi, quam Paulus 1. Cor.
VIII, 2. appellat talem qua nondum, uti decet, cognovimus,
aliàs, si hæc sufficeret, nemo perfectior Theologus esset Ca-
codæmone. Mira cum gravitate hac de re agitur in Form.
Concordiæ, præsertim alicubi hæc verba de ingeniosissimis &
doctissimis hominibus hujus Mundi ponuntur: (33.) *Quandò
diligentius in eâ re elaborant, ut spirituales res istas sue rationis
acumine indagent, tantò minus intelligunt & credunt. Idem: Et
si irrogenitus Evangelium audire & aliquò modo meditari atque
etiam de eò differere potest, ut in Phariseis & Hypocritis est vi-
dere; tamen id tacitis cogitationibus ut rem stultam spernit ne-
que credere potest.* Hæc sententia nisi firmonitatur funda-
mento, afferendum nobis erit, tum sola rationis lumine
verum, salutarem & spirituales scripturarum sensum posse
erui percipi & intelligi, ut nihil opus sit Spiritûs Sancti illumi-
na-

na-
sed propter rerum quarum signa sunt incongruentiam cum intelle-
ctu humano earumque longinquitatem à sensu humano non pos-
sunt illæ notæ applicari ab intellectu humano & modo fidei ineffe
debito ad res notatas, ut conceptus proportionatus & menti Spi-
ritûs Sancti conformis ex auditione formetur sine quâdam supernatu-
rali gratiâ Spiritus Sancti. Et §. 9. Quod quamvis verba Scripturæ
tam clara sint, ut suâ naturâ quidem verum sensum cuius communi-
cent, nemo tamen *introspeciat in rerum tam abditarum claritatem,*
nisi cui Spiritus Domini velum levaverit 2. Cor. III, 14. 18.

(33.) pag. 67.

natione: (34.) tūm verbum Dei non habere vim regenerandi & renovandi quā corda efficaciter immutentur, sed posse verè cognosci, sufficienter & plenè apprehendi à homine, qui tamen neutiquam moveatur eique conformis fiat, quod utrumque divinæ veritati esse contrarium quis, non vider? Quæri autem posset de donis quibus instructus est ejusmodi nomine solum Theologus extra statum gratiæ vivens: an sint pure naturalia, an spiritualia, an ex naturâ, an ex gratiâ ducant originem? Equidem si Deum tanquam omnis boni datorem Jac. I, 17. hic respiciamus, non possumus non etiam hæc dona ipsi adscribere, quippe cui debentur ea, quæ tūm primi tūm tertii Articuli sunt in Symbolo Apostolico, quamvis illa naturæ (quia & irrogenitis sunt communia) hæc gratiæ soleant dici; Ast scopus quæstionis cernitur in tritâ Theologorum distinctione inter *dona administrantia* & *sanctificantia*: de primo genere dubium posset moveri: An sint purè naturalia, id quod affirmare haud ausim: licet enim multa à naturâ habeant admixta, & sanctificantia Deo longè sint gratiora, quia hæc nunquam, illa sæpe sint fide sunt; Matth. VII, 21. Interim tamen administrantia etiam dantur à Deo tanquam ornatus singularis, unde omninò notandum, quod differant *dona in se & eorundem usus*, *Collatio & applicatio*: Largitur quidem sanctus Dei Spiritus hæc dona, confert eadem ex gratiâ, ut in Dei honorem usurpentur; ast homo iisdem non tanquam ex gratiâ sed tanquam

(14.) Convenimus hæc ratione cum Henrico Hulsio, Theologo in Academ. Duisburgensi qui in duobus libris de principio credendi, omnia prope rationi in scripturam scrutinio tribuit, & Revelationi sapius præponit, quem tamen haud infeliciter refuravit Jo. Regius Philos. Prof. Franequ. in libro: de modo percipiendi Sacræ Scripturæ divinitatem.

quam ex natura utitur, suo, non divino honori velificatur, servit varii generis voluptatibus, atque ita extra sanctificationem consistens haud alium ex iis haurit fructum quam ex purè naturalibus: Inde Paulus inter *χαρίσματα πνευματικά* illa quidem refert 1. Cor. XII, 1. 4. seqq. ait cap. XIII, 1. rotundè fatetur; si linguis hominum loquar & angelorum (En! donum spiritûs sât eminens) charitatem autem non habeam (ab igne divini amoris in corde accensam, quò ipsò sanctificamur) factus sum æs resonans aut cymbalum tinniens (cui foris per dona administrantia, per externam notitiam literalem aliquis est splendor, intus autem nihil verè cognovi aut res ipsas, ut decet, intellexi) unde v. 2. & 3. iteratâ vice addit: Si amorem non habeam nihil sum, nihil mihi proprie. Quare licet aliqua Dei gratia (quæ *assistens* vocari *possêt*) penes idgenus Theologum maneat, qua administrantia dona conferventur, quæ etiam nonnunquam eum internis stimulis moneat, ne veritati, quam ore fatetur, corde & opere repugnet, tamen ex eâ non habet veram ac salutarem cognitionem, (quæ inhabitantis gratiæ fructus est,) imò toties repulsa magis magisque recedit, ut sibi relictus scripturas pro lubitu subtilitate suâ (heu futili!) ad sensum carni perditæ gratum trahat & vel ea neget, quæ antea in confesso esse dixit, præsertim si periculum subeundum aut alia pravo affectui blandiens occasio id suadeat. Ita quò majori præ aliis eruditione excelluit, eò graviora Dei experiatur oportet judicia, cujus rei tragica exempla non desunt. Contra: donum Spiritus Sancti (sanctificans) quotidie aliquid de reliquis peccati expurgat & in hoc incumbit, ut hominem verè mundum Sanctumque reddat; (35.) siquidem verò verius est: *Et Instrumentum & officina*

F 2

Spi-

(35.) Egredie sic describitur in Form. Concord. p. 665,

Spiritus Sancti debet esse Theologus, id quod de irrogenito peccati ac mundi seruo asserere impium foret.

VI. Christianus ac pius Auditor laicus etiam si indoctus, plus habet de cognitione veritatis cœlestis quam profanus Doctor Theologus.

Cognoscit enim Veritatem *κατ' ἐνάθεαν*, adeoque talem, quæ efficaci operatione suâ demonstrat, quod divina sit vereque cognita, unde ad *διδακτικὴν θεῶν* Joh. VI, 45. ipsum referre quis dubitet? Certè si dicto Chemnitii (36.) Theologia magis consistit in affectu quàm cognitione (illa enim rem simul hæc quatenus isti opposita sola verba percipit) non potest non pius laicus longè melius intelligere, quid sibi velit divina Veritas præ alio, cui eadem in labiis, non in animi motibus hæret. Ingeniosissimus ille Argentoratensium quondam Theologus B. Dannhauerus exemplo Sacri interpretis rem ite exprimit: (37.) Requirit nempe ab illo *παθητικῶν*, morum & affectuum conformationem, quippe Davidem inducere debet, qui eundem resolvendo vult exuere, hinc pulcherrimus ille contentus, quò Scriptor Interpreti & hinc illi ita componitur, ut quasi alter ego videatur. Item: nimis verum est Davidica non intelligere, qui Davidica non est expertus. Pius ergo Christianus qui experitur Davidica, eodem, quò Sanctus ille Rex, Dei Spiritu regitur & illuminatur, verè omninò atque realiter apprehendit, cognoscit, imò cum obsignatione internâ percipit, quæ *θεόπνευστος* David scripsit; At profano Theologo id negatum est, licet ipsi non derogamus, quod erudi-

(36.) Allegat. supra porism. III, (37.) Hermeneut. Sacr. I. p. II, & 8.

rudione fidelem laicum longè superet, quippe impotem ad solidè in omnibus eliciendas consequentias, subtiles ad-
 versariorum confutationes, profundas speculationes, imò ad
 scitè proferendum sermone ea, quæ fide tenet: quæ omnia
 in Theologo jure quidem laudanda, interim veram cogni-
 tionem & fidem non semper habent comitem, nec à fideli &
 verâ cognitione prædito absolutè requiruntur: Ut enim pax
 Dei (interna & spiritalis) omnem exsuperat mentem Phil.
 IV, 7. ut plenè capi atque sentiri à mortali homine ne que-
 at, imò haud rarò adeò sit occulta, ut sensum vix tangat, ni-
 hilò tamen minus corda reverà inhabitat, ita & fides aut co-
 gnitio cœlestis Veritatis non ab externò vocis testimonio be-
 neque compositâ loquentia dependet, sed longè altius ascen-
 dit & in experientiâ interioris hominis fundatur: Hoc est quod
 graviter simul, pro more, includat Apologia Aug. Conf.
 (38) fides est ipsa justitia quâ coram Dei justî reputamur
quia sentit quod Christus sit nobis factus à Deo Sapi-
 entia, Justitia, Sanctificatio & Redemptio. Proinde non ob-
 stat, quod de mysteriis fidei aliisque rebus, quæ cognitionem
 Theologicam concernunt, uberiorem & accuratiorem haud
 habeat notitiam fidelis laicus (39) Sufficit quod secundùm
 gratiæ mensuram sibi concessam ea quæ verbis profitetur, *mo-
 do divino* intelligat, & experientiâ ipsâ (40) res spirituales didi-
 cerit.

F 3

VII.

(38) pag. 76.

(39) Augustin. I. IIX. Confess. c. IIX. Quid patimur? Haud sciunt
 indocti & Cœlum rapiunt: & nos cum doctrinis sine corde ecce
 ubi volutamur in carne & Sanguine. (inde B. Dannhauerus super
 Ps. XIX. Concl. I. p. 7. non Theologiæ solùm sed alios etiam Docto-
 res, Professores atque Studiosos Siracidem sequi monet cap. xxxix. I.
 ne has querelas ingeminare opus habeant.

(40) Luther. T. IX. Altenb. p. 835. Ein Christ der versucht und an-
 gefochten.

VII. *Haud rectè docetur Theologia, nisi circa dogmata ejus pietas simul omni studio inculcetur.*

Res ex hactenus positis meridianò sole clarior est & ulteriori probatione vix indiget. Repeto saltem Paulina verba: *Ἀλήθεια κατ' ἐυσέβειαν!* Hæc naturaliter nexu prorsus insolubili cohærent; Cum itaque nemo non, qui profitetur Theologiam, pro Veritatis Doctore velit haberi, necesse est ut in docendo Pietatis maximam habeat rationem: Uti enim ille plenariam seu perfectum de Christi merito non proferret doctrinam, qui alterum ejus effectum, nostram nimirum Renovationem per Spiritum Sanctum, omitteret, quâ adhærens carni peccatum magis magisque enervatur, opprimitur, mortificatur, qui effectus sat distinctè in Scripturis asseritur 1. Joh. I, 9. Hebr. IX, 14. 1. Pet. II, 24. (41.) Ita & in genere Theologia mutilata censeri debet, si Veritatem divinam velit docere & tamen partem ejus principalem nempè praxin intus fundandam foris demonstrandam negligat. Sanè si Scholæ si Cathedræ veram docuisse Theologiam cupiunt æstimari, undiquaque resonent oportet tali quàm illius Speculativam tractent notitiam. Arrianus quondam (41.) docuit, Ethnicis in mysteriorum suorum, religione scopum fuisse practicum: *ἔτιως ὡ φέλιμα γίνεται τὰ μυστήρια ἕως εἰς Φαντασίαν ἐρχόμεθα ὅτι ἐπὶ παιδείᾳ καὶ ἐπανορθώσει τὸ εἰς κατεσθῆδη πάντα ταῦτα ὑπὸ τῶν παλαιῶν* h. e. sic nobis utilia red-

dun-
worden/ist nützer denn sonst 100. die nicht versucht worden seynd: denn in der Anfechtung wächst der Segen/ daß er viel Leute lehren/ trösten und ihnen mit guten Rath helfen kan in Leiblichen und geistl. Sachen.

(41.) Vide in hæc duo posteriora loca, in primum Sebast. S. hmid. Comment. Epist. ad Hebr. p. 1060. in alterum B. Calov. contra Grotium. (42.) in l. 3. Epictet. c. 20.

duntur mysteria sic in considerationem eorum pervenimus: nam propter disciplinam & emendationem vite omnia hæc à veteribus instituta sunt: quanto magis nos, à Christo nomen ducentes (utinam & mentem!) in Sacratissimis Cœli mysteriis (discendis studere oportet melioribus ac certioribus emolumentis, doctrinis solatiis (43.) Dicis: Periculum est, ne hæc ratione valde quidem *pios*, sed *parùm doctos* habituri simus Theologos, Respondeo: fulgurex pelvi! quænam eruditio præstabit? num literalis, quæ verba solum ac corticem, an verò realis ac solutaris, quæ rem atque medullam degustat? Satiusne tibi videtur cum impiis imò Cacodæmone doctum esse, quàm cum verè piis, qui soli Deum nôrunt 1. Joh. II, 4. Etiam ille, cui pietas curæ cordique est, solidam propterea non posthabet eruditionem, labores haud subterfugiet, sed potius sincero Dei amore incitatus ejus profundiorum cognitionem longè avidius quæret, & in scrutandis, præviâ Scripturâ, mysteriis, in dignoscendis variis Doctorum donis erit ardentissimus. Objicis: Discrimen observandum esse inter *Suggestum* & *catbedram* præsertim *Academicam*: illius ministri defudent in inculcandâ hominibus pietate, hujus Doctores orthodoxiam solum proponant, defendant & à corruptelis vindicent: Respondeo: Hos limites Pietatis doctrinæ positos in Sacro Codice nullibi invenio: Veritatem cum Pietate conjungit Paulus, illa ab hæc, hæc ab illâ nunquam separanda; Si itaque in eo occupatus fuerit Professor Theologus, ut cognitionem
Veri-

(43.) Vid. B. Danhauer. in Apoc. Myst. Apost. item exemplar hæc in partibus proponere nostros libros Symbolicos, præsertim Apolog. Aug. Conf. quæ in Summo Articulo de Justificatione, omnia ad pietatem dirigenda monstrat, id quod Chemnitius noster ferè incomparabilis penes fidei Articulos tantum non omnes imitatur, confer ejus LL. Theolog.

Veritatis Auditoribus inprimat, quâ capaces fiant alios denuò erudiendi, eò simul allaborare opus habet, ut sic imbibant veritatis agnitionem, quatenus pietatem in omnibus respicit: posito etiam, quod ad concionatorum munus hoc tantum pertinere autemet, ipse nihilominus Auditores, quorum Studia maximam partem Suggestui sunt dicata, de necessariis ejusmodi erudire obstrictus est. At absit! pietatis doctrinam è Scholis & Collegiis Academicis proscribere! Deducunt aliàs Theologi propè omnes ordinem Doctorum tum Ecclesiæ tum Academiæ ex Eph. IV, 11. 12. ibi autem omnes similem habent Scopum τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων, οἰκοδομὴν τῶν σωμάτων. & τὸ χριστῶ. & ut tanquam membra in Ecclesiæ corpore, cujus caput Christus est, hæreamus, requiritur v. 15. τὸ ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ Veritatem sectari in charitate, Ergò nemo in Doctorum numero est eximius, quò minus ad pietatem & voce & exemplo simul instruat Auditores, ut præfixam obtineant metam: Sic non doctos solum, sed & verè Christianos generabit Theologia (44.) *O! utinam rata jubeat esse Deus hæc vota nostra & auguria!*

(44.) Vide hæc de re Par Theologorum de grege Christi in Ecclesiis & Academiis præclare meritum hodieque merens Dn. D. Spenerum in citatâ Præfatione de Impedimentis Stud. Theol. & Dn. D. Kortholtum in wohlgemeinten Vorschlag præsertim No. XV.

F I N I S.

er, id
sini
de, si
vi-
tio-
erra
edit.
alo-
em:
in-
icu-
vit.
ur,
V.
one
en-
um
ia-
pa
a-
u-
ui
r.
S
æ
i-
o-
I
i-
)
.
.
.



00 A 6449




f
sb.

10/17

Teil: 63







17.

Quod felix jubeat esse DEUS.

THEOLOGIA PIA UNICE VERA,

Quam
Cum Paulo ad Titum l. i. asserit,

& in
DISSERTATIONE INAUGURALI,
Consentiente

Illustris CHRISTIAN-ALBERTINÆ

Quæ Kiloni Holfatorum est,

Summe Rev. Facultate Theologicâ,
PRÆSIDE,

VIRO Maxime Reverendo ac Celeberrimo,

DN. HEINRICO OPITIO,
Theologiæ Doctore, ejusdemque Prof. Ordinario,

Pro obtinendo Gradu ac Privilegiis,

DOCTORIS THEOLOGI

defendit

M. JOHAN. CHRISTOPH. BILEFELD,

Adjunctus Parenti emerito Pastor ac Su-
perintendens Dölitianus.

die III. Octob. Anno M. DC. XC.

RECUSA HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Literis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr. 1710.